





FRAN  
CISCVS  
PP.

*ad perpetuam rei memoriam.*

~ In Deo speravi; non timebo: quid faciet mihi homo? ~ Ps 56 [55], 12 ~ Venerabilis Servus Dei *Jacobus Alfredus Miller*, Instituti Fratrum Scholarum Christianarum sodalis, in America Latina ~ Hermano Santiago ~ nuncupatus, vitam tradidit, populo serviens et Guatimalensi Ecclesiae, civili bello icus quod XXX annos Guatimalam vastavit. Die XXI mensis Septembris

anno MCMXLIV natus est in oppido Ellis apud Stevens Point, Visconsiniae, in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, primus ex quinque liberis. Eius familia vilicationem gerebat et ipse in operibus agendis crevit, in quibus translaticia religiosa praecepta vigeant, cum terra rerumque natura coniunctus. Litterarum studio absoluto, adire inchoavit Pacelli High School apud Stevens Point, quam Instituti Fratrum Scholarum Christianarum sodales moderabantur. Inibi animadvertit se ad vitam religiosam vocari atque postulavit ut in eorum Institutum reciperetur. Temporaria vota die XXXI mensis Augusti anno MCMLXIII nuncupavit atque nomen sibi indidit Fratrem Leonem Vilselmum. Post perpetua vota, die XII mensis Junii anno MCMLXIX Winonae, in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, nuncupata, in Nicaraguam, nominatim ad Puerto Cabezas, est missus, ubi status collegium demandatum erat Fratribus Scholasticis

larum Christianarum. Ibidem V annos mansit  
atque animationis opus actuose egit: praeses fuit  
status collegii, catechesis in paroecia actor, quam  
instrumentis operisque instruxit, rurales scho-  
las aedificavit atque coetum localem siphona-  
riorum composuit. His omnibus in inceptis iu-  
venes in christianum sensum dirigere conatus  
est. Quam ob rem infestos inimicos sibi compara-  
vit, sic moderatores statuerunt ut sub finem an-  
ni MCMLXXIX in Foederatas Civitates Ame-  
ricae Septentrionalis remigraret. Sed Ameri-  
ca Latina ei cordi erat atque, illuc rediturus,  
anno MCMLXXX ad praesentia accomodatio-  
nis spiritalisque renovationis curriculum in  
Novo Mexico absolvit. Die 1 mensis Januarii  
anno MCMLXXXI in Guatimalam missus est,  
ubi anceps bellum civile gerebatur necnon stir-  
pium dimicatio inter albos, praediorum domi-  
nos et indos. Venerabili Servo Dei magna insti-  
tutionis opera, indis destinata, commissa est,  
quae est Sedes Indigena Gerontopolitana.

Quae CL pueros receperat ex paupere rure montibusque oriundos quaeque sinebat ut scholarum artis curricula ex more de agri cultura deque animalibus colendis ipsi absoluerent. Mense Novembri anno MCMLXXXI patriam repetere debuit ut in urbe Saint Paul sectionem chirurgicam in genu subiret. Politica socialique in Guatimala condicione considerata, complures fuerunt qui dissuaderent ne illuc rediret, sed ineunte anno MCMLXXXII Gerontopolim repetiit. Die XIII mensis Februarii, cum in scalis operaretur, ut simplex structor, murum illius sedis aptaturus, tres sicarii compluribus ictibus eum necaverunt. Hora fuit fere quarta post meridiem atque Venerabilis Servus Dei statim e vita excessit. Ex heroica pastorali operositate in pauperiores apprime in indos Guatimalenses, supremum fidei caritatisque testimonium, usque ad vitae donum, exstat Jacobi Alfredi Miller, Christianarum Scholarum fratris. Venerabilis Servi Dei obitus multos penitus movit ac statim ve-

rum martyrium est habitus. Dioecesana in-  
quisitio inter diem V mensis Septembris atque di-  
em X mensis Octobris anno MMIX Gerontopo-  
li acta est atque die IX mensis Julii anno MMX  
valida agnita est per decretum Congregationis  
de Causis Sanctorum. Positione comparata,  
die XX mensis Martii anno MMXVIII Consulto-  
res theologi in congressu peculiari congregati fe-  
licem suffragium tulerunt. Die II mensis Octo-  
bris anno MMXVIII Patres Cardinales et Episco-  
pi, in Sessione ordinaria coadunati, Venerabilis  
Servi Dei interitum verum martyrium iudica-  
runt, sic Nos Ipsi die VII mensis Novembris  
subsequentis facultatem fecimus ut Congregatio  
de Causis Sanctorum de martyrio decretum  
ederet. Statuimus insuper ut beatificationis ri-  
tus die VII mensis Decembris anno MMXIX Ge-  
rontopoli in Guatimale ageretur. Hodie igitur  
ex mandato Nostro Josephus Aloisius  
S.R.E. Cardinalis Lacunza Maestrojuan, O.  
A.R., Episcopus Davidensis, Apostolicas

legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogo rettulimus Venerabilem Servum Dei Jacobum Alfredum Miller: Nos, vota Fratris Nostri Alvari Leonilli S.R.E. Cardinalis Ramazzini Imeri, Episcopi Geronopolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium expletes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei **Jacobus Alfredus Miller**, religiosus professor Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, martyr, juvenum excellens educator et evangelicus pauperum oppressorumque defensor, Beati nomine in posterum appelletur, atque die tertia decima mensis Februarii, qua in caelum ortus est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus

tus Sancti. Quod autem decrevimus, volumus  
et nunc et in posterum tempus vim habere, contra  
riis rebus quibuslibet non obstantibus. Datum  
Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die VII  
mensis Decembris, anno MMXIX, Pontificatus  
Nostri septimo.

Secretarius Status hoc documentum sua  
subsignatione ac Summi Pontificis Leonis  
P.P. XIV sigillo ratum facit. Die XII mensis Ju-  
nii Anno Sancto MMXXV.

Petrus Carol. Parolin  
Secretarius Status

